

tus est, praesertim in completorio dicendo, quod semper lectio aliqua aedificatoria, quam collationem vocant, praecedat, postquam ad nutum et voluntatem praesidentis terminandam; rectum sequantur completorium, ubi cursus beatae Mariae virginis demum post horam canonicam dicatur, inde: „salve regina etc.“; qui dicit invitatorium, non debet in eodem choro esse cum hebdomadario missae, ratione usum ordinis nostri, sed ubi hebdomadarius fuerit in hoc choro, in altero e converso erit invitatorius. Quoniam etiam hactenus in usu non habebant omnes horas canonicas psallendo persolvere, in ea parte aliquid conniventes, concedimus, ut dicant orando matutinas praeterquam in diebus festivitatum summarum, puta sermonum omnium, donec numerus fratrum augeatur, inque majorem numerum redigatur; quo casu distincte mandamus, ut omnes horae illae psallendo persolvantur, quo divinum pensum non oscitanter deo reddatur. Ne etiam pii fundatores sua debita mercede fraudentur, sed potius habeant animarum suarum aliquid in hac domo refrigerium, hisce mandamus, ut quotidie, vel ad summum quater in hebdomade, missae ordinis a sacerdotibus ad eas inscriptis persolvantur, nempe quotidiana pro ordinarii nostri praescriptione, et una de beata Maria semper virgine, ordinis nostri patrona, tertia vero pro defunctis, in qua memoria piorum fundatorum habeatur. Qui sacerdotes in eo negligentes extiterint, in proxima refectioe in vino et pitantia puniantur. Pallarum altarium sicut et sacrae eucharistiae cura, quoniam ad custodem pertinet, mandamus, ut omni anno pallas altarium bis lavari curet, ne in sordibus eadem, prout reperimus, compareant. Rev. d. abbas, si quos fratrum suorum juniorum ad ordines mittere voluerit, sedulo provideat, ut sufficientis sint aetatis; quod non tantum s. concilium Tridentinum severe praecepit, sed et novissimi nostri capituli generalis definitiones idem jubent, subdiaconandorum enim aetas 22, diaconandorum 23 et presbyterandorum ex praescriptis superiorum 25 annorum esse debent, ne vel rev. abbas censuras vel ipsi ordinandi irregularitate incurrant. Ac quoniam monasterii Brombacensis visitator ordinarius* ante hoc tempus per haereticorum protervitatem esse desiit, nobisque incumbat ex officii et

commissionis ratione eidem defectui opportuno remedio succurrere: quare autoritate praefata hisce in verum ac indubitatum praefati loci ac monasterii visitatorem constituimus ac ordinamus rev. d. abbatem huius domus Speciosae Vallis cum suis successoribus in perpetuum, ut omne jus visitationis eo in loco exercent, in electionibus abbatum et quibuscunque ad id jus spectantibus. Porro in caeteris ad reformationem, visitationem ac correctionem saepefatae domus pertinentibus rev. d. abbatem totumque conventum monemus, ut praefatum suos mores ac ritus ad praescriptum chartae praefatae accomodent, quod facientes non erit, quod eo in loco desiderari queat; ipsum rev. patrem abbatem in visceribus Jesu Christi adhortantes, ut suum sibi commissum conventum paterno amore semper foveat ac prosequatur. Iste conventus vero ei debitam reverentiam ac obedientiam humiliter praestet et exhibeat. Demum ex praescripto novissimi capituli generalis obtestamur omnes patres et fratres, ut devote suas orationes dicant pro praesenti statu ecclesiae, praesertim sanctissimo domino nostro papa Sixto quinto, pro illustr. ac rev. sacrae romanae ecclesiae cardinalibus, pro omnibus archiepiscopis et episcopis, in primis domino Herbipolensi, pro abbatibus omnibus et abbatissis, maxime vero rev. d. nostro Edmundo a Cruce generali, et generaliter pro omnibus monachis, sacerdotibus et clericis. Dicat quilibet 3 missas, unam de spiritu sancto, alteram de beata virgine, tertiam salus populi cum collectis: „deus a quo“ et: „deus regnorum“. Et sic utrinque in mutua charitate vivant, ut inter eos spiritus sanctus habitaculum sibi eligere et ad coelorum sedes evehere dignetur. Amen. Acta in praefato monasterio, die et anno, quibus supra, sub sigilli nostri abbatialis majoris appensione et signi secretarii nostri manualis inscriptione. Erant in hisce partibus etiam duo monialium monasteria, sed per iniuriam et rabiem lupi archiepiscopi Moguntinensis ad amplioem et splendidiorem vitae aulicae apparatus et pompam sunt devorata, quorum unum Bellingen, alterum vero¹ [Vallis Gratiarum, Gna-denthal, apud Hallam Suevorum*].

¹ Folgt ein leerer Raum in der Hf.

* Die Cistercienser Tafeln geben an, Vallis Gratiarum (Gna-denthal, Diöcese Würzburg), gestiftet von den Grafen von Krautheim 1264, habe Schönthal zum Visitator gehabt, aber a magistrato Hallensi substractum est Cistercio. Dieser Nachsatz stimmt mit der Angabe, daß der Erzbischof von Mainz das ungenannte Kloster aufgehoben habe, nicht überein. Da aber außer Bellingen kein anderes Frauenkloster der Visitation von Schönthal unterworfen war, so mußte die Stelle, wie oben gesagt, ergänzt wer-

* Nach den tabulae Cistercienses und der idea chronotopographica war Bronnbach die Tochter von Maulbronn, hierauf von Ebrach. Mit hin waren zuerst der Abt von Maulbronn, dann der von Ebrach visitatores ordinarii. Beide obengenannten Quellen wissen von einem Visitationenrechte des Abtes von Schönthal in Bronnbach nichts. Wahrscheinlich hat die Uebertragung von 1586 nicht lange gebaut.